

Disputatio Ordinaria

ELENCHTICO-DIDACTICA

DE VERO VETERIS
TESTAMENTI DEO UNO EO-

DEMQUE CUM EO QUI PATER EST DO-
MINI nostri Jesu Christi, contra deliria Cerdo-
niano-Marcionitica & Manichæa.

PRÆSIDE

JOHANNES BEHM, S.S. Theol.
D. & Profefs. primario, Aulae Electo-
ralis Brandenburgicæ Concionatore, & Sam-
biensis Consistorij Assessore.

Respondente

M. ABRAHAMO KALOVIO.

Habenda

In Atrio Majori, ad d. Augusti.



Coll. diss. A
146, 26

[Handwritten marks]

[Handwritten: 146(26)]

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, A^o 1632.

3.

VIRIS

*Generosus, Magnificus, Sereuus, Nobilissimus, inclitum
Borussia Ducatum Regentibus supremis laudatissimis,*

**Dn. ANDREÆ à Kreyben / Provin-
ciae Praefecto eminentissimo.**

**Dn. JOHANNI TRUCHSESIO
à Wehhausen / Burggrabio supremo.**

**Dn. JOHANNI GEORGIO à
Saucen / Cancellario gravissimo.**

**Dn. AHASVERO Brand / Archi-
Marschallo dignissimo.**

NEC NON

Generoso, Sereuo, & Nobilissimo,

**Dn. JOHANNI EBERHARDO à Tet-
tau / Consiliario terrestri primario, & Capita-
neo Brandenburgensi meritissimo.**

VT ET

Admodum Reverendis, Clarissimis, Excellentissimis,

**Dn. JOHANNI BEHM, S. S. Theol.
Doctori, ejusdem P. P. celeberrimo, Aulico Bo-
russiae Concionatori, & Consistorij Sambiensis As-
sessori primario, Praeceptoris Parentis loco avi-
ternum suspiciendo.**

**Dn. M. FRIDERICO STIMERO, Ecclesiae Löbnic,
Pastori, & Consistorij Samb. Assess. fidelissimo.**

**Dn. M. MARTINO VVOLDERO, Parochialis Ec-
clesiae Diacono vigilantissimo.**

*Mæcenatibus studiorum summis, Fauteribus & Promoteribus
submissè colendis*

Exercitium hodie Academicum consecrat, offert

M. ABRAHAMUS KALOVIVS, Respo



27

In nomine Sacro-Sanctæ & individua
Trinitatis.

DE DEO V. T. contra Cerdo- nianos & Marcionitas

T H E S I S I.

Nter alias appellationes, quibus Sanctus
DEI Spiritus in divinis eloquiis Diabolum,
infensissimum illum & DEI, & humani ge-
neris hostem describit, & ea est, quâ *ἄντι* voca-
tur Job. 1, 6 & seq. Psal. 109, 6. Zach. 3, 1.
Matth. 14, 19. Apocal. 12, 9, & c. id est, adversarius. Infen-
sissimus enim est DEI divinarumq; operum hostis, qui defle-
scendo, impediendo DEO semper adversatur cum verbis,
cum operibus.

II. A primâ sanè primorum Parentum seductione, DE-
UM in verbo suo calumniatus est, ut *διάβολος*, ut *Spiritus*
mendax in ore falsorum Prophetarum, 1. Reg. 22, 22. 2. Chron.
18, 22. Indefinentem prætereà & æternum pene agit ad-
versarium, DEUS *veritatis DEVS est*, Psal. 31, 6. 33, 4.
Sathan contrâ *omnis mendacii Pater*, In concreta namq; ve-
ritate non stetit, propterea veritas in ipso non est. Quando
ergò mendacium loquitur, *ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ*, quia *mendax est*,
omnisq; mendacii Pater, Johan. 8, 44. Est a. mendacium *ἰδίων*
Diaboli, quâ Diaboli, *ἀπ' ἀρχῆς ἀποστασίας* sc. quàm primùm &
primigenia veritate defecit, factusq; est *ἀνδραποκτόν*, *ma-*
gnus Draco, antiquus serpens, qui vocatur *Diabolus & Satanas*,
ὁ πλάττω τῆν οἰκουμενὴν ὅλην Apocal. 13, 9.

A 2

III, Hic

III. Hic Satanas circa divinam militantis in his terris Ecclesie gubernationem Sathanicum suum animum à primo introducti mali principio vel maxime prodidit, & adhuc. Quantis enim conatibus, quantià truculentia Ecclesiam omnium temporum proprio DEI sanguine acquisitam, Actor. 20, 28. adortus sit, eamque penitus expugnare totus animum induxerit, quantis præterea Methodis eandem circumvenire studuerit, historia tum Biblica, tum Ecclesiastica testis est locupletissima.

IV. Fuit Ecclesia omnibus temporibus *domus DEI*, Psal. 23, 6. *Ecclesia DEI viventis* *σῦλος καὶ ἰδρύμα αληθείας* I. Tim. 3, 15. partim ob sollicitam divini verbi (quod verbum veritatis est Joh. 17, 17. 2. Sam. 7, 28. Psal. 119, 43, 86, 142, 151, 160.) *custodiam & conservationem*; partim ob divini verbi *propagationem* in mundo: partim ob continuam divinæ veritatis in divinis oraculis comprehensæ *testificationem*, vel *martyrologium*. Hanc spirituales Jehovah domum, hanc Ecclesiam DEI viventis, hanc columnam totaliter expugnatam, dirutam, desolatam DEI adversarius semper cupivit.

V. Non est animus omnes infernalis Adversarij aggressiones, quibus Ecclesiam omnibus temporibus adortus est, prolixo catalogo percensere; primordia tantum N. T. penitus consideremus, luculenta & admiranda Sathanicorum conatuum machinamenta, vel vi, vel fraude contra Ecclesiam suscepta apparebunt, à primis usque nati Christi incubulis. Unde quæso truculentum illud Bethlehemiticum infanticidium, ab Herode primo, aliàs Magno, & *Ascalonio*, vel *Ascalonitâ* dicto perpetratum Matth. 2, 16. ? Unde insidie secundi Herodis, *Antipa* aliàs nominati ad occidendum Christum, Luc. 9, 9. c. 13, 31. ? Unde tertij Herodis, *Agrippe* appellati Tyrannis circa decollationem Jacobi, fratris Johannis, filij Zebedæi, & Apostoli Petri captivationem cum eodem trucidandi proposito Actor. 12. ? Unde Stephani lapidatio Actor 7, 59. ? à Sathana DEI & Ecclesie suæ adversario.

VI, Eio.

VI. Eloquentissimus Prophetarū Esaias Diabolum Pro-
phetice depingit in formā balœnæ serpentis oblongi five
recti & tortuosi (*gerabe vnd frumme Schlange*) Esa. 27. 1.
Quo ipso duos Diaboli processus adumbrat, quibus Ecclesiã
Christi his in terris militantem adortus est, miserq; vexa-
vit. *Vim sc. five tyrannidem* (est hic serpens oblongus vel
rectus) & *fraudes variarum hæresium & schismatum* (hic
est serpens tortuosus.)

VII. Numerant Ecclesiastici Patres in primis tribus
Centenariis à Dominicâ statim Nativitate decem publicas
longè latèq; diffusas Christianorū persecutiones à paganis
Romanorum Imperatoribus crudeliter susceptas. *Primam à*
Nerone, secundam à Domitiano, tertiam à Trajano, quartam
ab Antonino, quintam à Severo, sextam à Maximino, septimã
à Decio, octavam à Valeriano, nonam ab Aureliano, decimam à
Diocletiano & Maximiniano. Has persecutiones conferre so-
lent cum decem Ægyptiacis plagis. Verùm bene monet B.
Augustinus, l. 18. de C. D. c. 52. hanc numerationem & col-
lationem fieri non *Prophetico Spiritu, sed conjectura mentis hu-*
mana, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.
Subijcit Augustinus: *Quid enim, qui hoc sentiunt dicturi sunt*
de persecutione, quæ ipse Dominus crucifixus est? Quid agatur de
illâ, quæ postea quàm Christus ascendit in cælum Hierosolymis fa-
cta est, ubi B. Stephanus lapidatus est? Vbi Iacobus frater Iohan-
nis gladio trucidatus est? Vbi Apostolus Petrus ut occideretur,
occlusus est, & per Angelum liberatus? ubi fugati atq; dispersi de
Hierosolymis fratres? Cur ergo eis à Nerone videtur ordiendum,
cum ad Neroni tempora inter atrocissimas persecutiones Ecclesia
crescendo pervenerit? Addit, & post Diocletianum gravissimas
exortas persecutiones sub Iuliano, sub aliis Arianis Imperatoribus,
sub Regibus Gothorum, in ipsa Gothiã. Quid modò in Perside?
Nonne ita in Christianos feruit persecutio, ut fugientes inde non-
nullis usq; ad Romana oppida pervenerint? Tandem subijcit
suam emendationem? Hac atq; ejusmodi cogitanti, non videtur esse

definiendus numerus persecutionum, quibus exerceri oportet
Ecclesiam.

VIII. Bene! Divina namque prae-dictiones de variis Ec-
clesiae persecutionibus in mundo omni tempore viguerunt
& adhuc ad novissimum illum ultimi iudicii diem. Suam
quidem χρονικήν alterationem, intermissionem, cessationem
persecutionum paroxysmi habere possunt in particularibus
locis, verum in universali Ecclesia per totum mundum di-
spersa (hoc est καθολικόν in Apostolico Symbolo secus ac Ro-
manenses fingunt) vix ac ne vix quidem. Perpetua namque
vigent in mundo persecutiones, quae variis modis, caedi-
bus, exilio, calumniis, mendaciis, consiliis, ipsa denique vo-
luntate (quae pro facto reputanda) fieri potest. Scilicet in-
fernalis ille serpens ex ore suo tribulationis aquam contra
Ecclesiam quotidie evomit, ἵνα αὐτὴν ποταμοφόρητον ποιήσῃ A-
ποκ. 12, 15.

IX. Est autem & hoc in transcurso notandum, B. Augu-
stinū in enarratione in Psal. 9. triplicem facere Ecclesiae per-
secutionem. Unam *Tyrannorum violentam*, cum proscripti-
onibus, tormentis, caedibus Christiani ad sacrificandum co-
gerentur. Alterā *Hereticorum fraudulentam*, quae nunc (ver-
ba sunt Augustini) per hujusmodi haereticos & falsos fra-
tres agitur. Tertiam adhuc superesse dicit, per *Antichristum*
venturam, quā nihil periculosius, quoniā & *violenta* & *fran-
dulenta* erit. *Vim habebit in Imperio, dolum in miraculis*. Quae
persecutionis forma in Romano Pontifice impleta. Hic n.
serpentem illum partim rectum partim tortuosum imitatus
in mediis bellorum motibus fraudulentiam utitur in aulis
praesertim magnatum hujus mundi, ad quos per subdelega-
tos varias emittit legationes ex merā fraudulentā circum-
ventione. Scilicet Antichristus ille mel habet in ore, fel in
corde. Lingua Jacobæa est, manus Esavitica.

X. Unde quæso hæc persecutiones variorum temporum,
variorum modorum? A Sathanā, perpetuo illo DEI & Ec-
clesiae

29

eclesie adversario, qui in ultimis hisce labentis mundi tem-
poribus ardentissimo erga orthodoxam J. Christi Ecclesiam
odio totus flagrat, secundum illud Johannæum. *Va habita-
toribus terra & maris, quia descendit Diabolus ad vos habens i-
ram magnam (ὁ θυμὸν μέγαν) sciens, quod modicum tempus habet,*
Apoc. 12, 12.

XI. Et aliâ infernalis ille Sathan Ecclesie turbationem
aggressus est viâ. Nam durantibus adhuc decem illis per-
secutionibus (ut subsequentiâ temporum historiam silen-
tio involvamus) varia variarum hæresium Zizania in spi-
ritualem Ecclesie agrum sparsit, hæreses planè monitrosas.
Et sanè nisi in hæresium catalogo apud *Irenæum, Tertullia-
num, Eusebium, Epiphanium, Augustinum, & alios*, monitrosa il-
la, maximeq; blasphema deliria descripta extarent, vix cre-
deretur, statim ab Apostolorum ætate tales non varias tan-
tùm, sed planè prodigiosas opiniones in Ecclesia ab illo in-
fernali hoste per organa sua sparsa fuisse.

XII. Hæc hæresium monstra maximam partem origi-
nem sumserunt ex pessimo Philosophiæ abusu. Fuerunt e-
nim tùm plurimi, qui se Christianorum catalogo adjunxe-
runt, in Scholis Philosophorum (Platonice præsertim) e-
dueati. Hi cum viderent Ecclesie doctrinam apud Paganos
homines, aliàs sapientissimos invisam & propter simplici-
tatem risui expositam esse, voluerunt doctrinæ Christianæ
quandam conciliare auctoritatem Philosophicis illis spe-
culationibus, & idealibus illis appellationibus, quas in Ec-
clesiam invexerunt, ipsis monstris monstrosiores. Verè hæc
auctoritatis conciliatio Diabolica fuit *μεθοδεία πλάνης* Eph.
4, 14. qua abusus est postea Sathan, ut acerbo partim sarcas-
mo DEI Filio illuderet, qui arcanam illam Evangelij do-
ctrinam ex sinu æterni Patris protulit Joh. 1, 18. partim per
prodigiosa illa opinionum monstra totam Christianorum
doctrinam apud saniores suspectam redderet. In hunc etiã
finem, ut miraculorum verè divinatorum auctoritatem eleva-

ret,

ter, Simonem, Marcum (de quo Irenæus l. I. c. 8. & 9.) & alios artis Magicæ peritos excitavit, & instruxit, ut hac via testimonium certitudinis doctrinæ, quod ex divinis miraculis petebatur, Marc. 16, 20. in dubium vocaret.

XIII. Quam primùm n. à tramite revelati Verbi disceditur, & novis, affectatis, ad primam faciem subtilibus speculationibus, & appellationibus per humanæ sapientiæ abusum indulgetur, facilimus lapsus est in varias & monstruosas hæreses, ut exinde videamus in magnis etiam & sapientibus viris Philosophiæ laude clarissimis, *φρόνημα τῆς σαρκὸς ψυχικὸν εἶναι καὶ ἐχθρὸν εἰς τὸν θεὸν Rom. 5. 7. 1. Cor. 2, 14. Ποιῶν δὲ DEUS huius sæculi & mentes sapientium exacerare 2. Cor. 4. 4. secundum illud Apostolicum φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωραίνθησαν Rom. 1, 22. Huc pertinet gravissima Apostoli περαινέσις: βλέπειν μὴ πρὸ ὑμῶν εἶναι ὁ σαλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κειῆς ἀπίτης, κατὰ τὰ σοιχῆα τῆς κόσμου, καὶ ἔ κατὰ χεῖρον Col. 2. 8. Hoc sensu antiquissimus Ecclesiæ scriptor Tertullianus Philosophos nominavit *Patriarchas hæreticorum*, libro adversus Hermogenem cap. 8. nobis pag. 231.*

XIV. Non est a. animus pro hæc vice omnes illas hæreses enumerare & refutare. *Cerdo Marcionitarum* hæresin pro tempore producere, examinare, refutare nobis proposuimus sub ingressum Isagogicæ nostræ tractatibus in Canonicos V. T. libros, eamque non omnem, sed eam solummodo, quæ in Deum maximè injuriosa libros non modò V. T. impiè extenuat, verum & blasphemè fingit, DEUM V. T. alium planè fuisse à DEO N. T. quem Scriptura *Patrem Iesu Christi* nominat.

XV. Circa huius verò Marcioniticæ hæresos ventilationem certis capitibus materiam includimus.

PRIMUM continebit *ἱστορικὴ διδαχὴν de Cerdonis & Marcionis tempore, quo viscerunt, deq. monstruosa illa circa DEUM V. T. opinione, bonâ fide ex antiquissimis Ecclesiæ Patribus arguât.*

SECUN.

SECUNDUM monstrosa producet argumenta, quibus Marcion cum Successoribus monstruam illam V. T. DEVM in suo cerebro effinxit.

TERTIUM monstruam Marcionis de DEO V. T. hæresin invidiis argumentis breviter refutabit.

Da nobis Domine. ut in tuo lumine lumen videamus.

DE PRIMO.

I. CERDON, Græcis κέρδων (paulò post Valentinum, unde Valentiniani) in secundo cæcenario vixit sub Adriano & Antonino Pio Imperatoribus, temporibus Hygini Episcopi Romani, quem alii octavum, nonnulli nonum numerant, à Petro & Paulo Apostolis. Hic Cerdon ex Syriâ profectus Romam venit, ubi se & alios sectatores suos magis magisque corrupit ὁ ἐλεεινότητι.

II. Capita hæresium Cerdonis ab Epiphano numerantur ista Hæresi 41: 1. Duo principia, & consequenter duos Deos prædicavit, κεικλήρι, ἐνὰ ἀγαθὸν καὶ ἀγνώστον τοῖς πῦσιν ὄν καὶ πατέρα ἰησοῦ κεικλήρι. Unum bonum & omnibus incognitum, quem etiam Patrem Iesu vocavit. Ἐνα τὸν δημιουργὸν παντῶν ὄντα, καὶ γνώστον λαλήσαντα ἐν ἴσῳ νόμῳ καὶ ἐν τοῖς προφήταις φανέντα καὶ ὄρα τὸν πλάκισ γινόμενον, alterum Creatorem malum & cognitum, qui & in lege locutus est, & Propheeta apparuit, ac se visendum sæpenumero præbuit. 2. Christum negavit ex Mariâ genitum, ἀλλὰ δοκῆσθ' ὄντα καὶ δοκῆσθ' πεφηκῶτα, δοκῆσθ' ἢ πᾶ ὅλα πεποιηκῶτα, sed specie tenus exiitisse, talemq; apparuisse, omniaq; δοκῆσθ' tantum fecisse. Hinc Hæresici δοκῆσθ' δίδωσι. 3. Carnis resurrectionem ἀποθεῖται γερυδιαν. 4. Παλαιὰν ἀπαγορεύει ἀγαθὴν τὴν ἀπὸ Μωϋσεως καὶ τῶν προφητῶν ὡς ἀλλοτρίαν ἔσθαι Θεῶν, V. T. quod per Moysen ac Propheetas traditum est, tanquam alienum à DEO rejicit. 5. Fingit Christum descendisse ἀπὸ τῶν ἀνωθεν ἐκ ἑ ἀγνώστου πατρὸς ἐ superius ab ignoto Patre eis ἀγέτησιν τ' ἑ κρημοποιῶν καὶ δημιουργῶ ἐν ταῦτα δέχθης καὶ τυραννίδος, ut imperium ac Tyrannidem conditoris mundi &

di & opificis everteret. Hic Cerdon brevi tempore Romæ commemoratus μετὰ δέδοκεν αὐτῶν τὸν ἰὸν Μαρκίωνι, virus suum Marcioni asperfit, quem etiam successorem habuit.

III. Distinguendus verò est hic Cerdon Hæreticus ab Orthodoxo Cerdone Episcopo Alexandrino Imperatoris Trajani tempore Eusebio teste l. 4. c. 1.

IV. MARCION Μαρκίων (à quo Marcioniste) genere fuit Ponticus, ex ea parte, quæ Helenopontus dicitur, oppido Sinope Σινώπης. Hinc ab Eusebio lib. 5. histor. Eccl. c. 13. Ποντικός λέκεται Ponticus lupus vocatur, non Ponticus Lycus, ut interpretes habet, nullo sensu. Initio vite castitatem παρθενίαν præ se ferens μονάζων Monachorum instituta professus est, οὐδὲν ἰσχυροῦς ἡμετέρας ἀγίας καθολικῆς ἐκκλησίας. Postea cum virginem quandam adamasset, ac fraudibus pellexisset ἐξαπάτησας τὴν παρθένον ab ipso Parente viro cum primis religioso, ac veritatis amore flagrantissimo. Ecclesiâ pulsus est ἐξέσται. Cui cum Marcio diu multumque supplicasset, ac penitentiam μετανοίαν postulasset, hanc à Patre nullis precibus obtinuit. (en severitatem domesticæ & Ecclesiasticæ disciplinæ !) Ergò ubi se nullis artibus eblandiri posse, quod cuperet, animadvertit, suorum popularium probra & indubria non sustinens clam ex oppido (Sinope) discessit, ac Romam post Hygini Episcopi obitum se contulit. Eò statim ac Marcionem pervenit, seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem reciperetur (συναχθῆναι) ab ijs frustra petiit. Quamobrem invidiâ extimulatus, quod non principem illic locum (προεδρίαν præfidentiam) ac ne Ecclesiæ quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresin confugere in animum induxit.

V. Eadem ferè errorum monstra Marcion habuit, quæ Cerdon : 1. Et ipse duo principia statuit, quanquam & tertium adjecerit, Diabolum, inter ambos illos Deos ὀρθῶν τε καὶ ἀνορθῶν intermedium. 2. Virginitatem Marcion extulit. 3. Ieiunia & Sabbathæ observari præcepit. 4. Carnis ἀνάσσειν cum Cerdone negavit. 5. Baptismum sæpius instaurari iussit, pluresque Baptismos

60211670

commentus est. 6. Legem, Libros Mosaicos, & omnes Prophetas
 abiecit, dicens Moysen & Prophetas prophetasse ex afflatu & ἀρχον-
 τῶν & τὸν κόσμον πεποιθῶτα. 7. Christum ἀνωθεν descendisse ὡς
 & ἀοράτῃ, ἢ ἀκατανομάστῃ πατρὶς, in salutem animarum, nisi DE-
 VM Iudaorum, legis, & Prophetarum redargueres. 8. Muliercu-
 lis baptizandi potestatem fecit. 9. Solis animabus salutem, non et-
 iam corporibus οὐκ ἐπέτα. 10. Animarum μεταγωγὰς καὶ μετασώ-
 ματῶσιν migrationes ac transitus statuit ἀπὸ σωμάτων εἰς σώματα.
 11. Novi praeterea Testamenti libros (tota scilicet capita) ressi-
 mus amputavit, mutilavit, varia demens, quae ex V. T. in N. citata
 contra ipsum erant; alia contra addens, quae pro ipso προσήθησαν
 ἀνω κατω, ἐκ ἰσθμῶν βαδίζων, ἀλλὰ ἰρραδιεργημένως πάντα περι-
 πορεύων, omnia suaq; deq; perturbans, nec recta incedens, sed maliti-
 ose huc, illucq; cursitans, id quod fuisse & κατὰ μελίσσον Episco-
 pus Constantiae Cypri demonstrat in Elencho & περὶ τῶν Μαγ-
 κίων & βιβλίων Ἰεροσολύμων, quem vide. Hanc sacrilegam Mar-
 cionis audaciam in pervertendis N. T. libris frequenter ar-
 guit Tertullianus lib. de carne Christi & alibi scilicet. His con-
 siliis tot originalia instrumenta delere Marcion ausus est, ne caro
 eius (Christi) vera probaretur. Ex qua, oro te, auctoritate? Si
 Propheta es? praevincia aliquid: Si Apostolus? praedica publice:
 Si Apostolicus: cum Apostolis senti; Si tantum Christianus es? cre-
 de, quod traditum est: lib. de praescriptionibus. (Traditionis
 voce ad Apostolica N. T. scripta dignum intendit) Marcionem
 exerte & palam Macchara, non stylo usus est, quoniam ad materi-
 am suam eadem scripturarum confecit. Sub initium l. i. contra
 Marcionem eum vocat murem Ponticum. Quis tam cornesor,
 mus Ponticus? (Marcion namq; mus Ponticus erat) quam qui
 Evangelia corrodit? 12. Illud monstruosum est, quod finxit,
 Christum ad inferos descendisse, ut & Caino (addit Irenaeus,
 Sodomitis, Aegyptiis) & Core, & Dathan & Abiram, nec non
 Esauo, & omnibus nationibus, quibus Iudaorum DEVS ignotus
 fuerat, salutem adferret, σωσῆν. Abelem vero, Enochum, Noachum,
 Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Moysen, Davidem ac Salomonem
 illis

illie in inferno reliquos ἐκεί καταλελειπέναι, quoniam Iudeorum
DEVM (Vei sc. Testamenti) agnouerunt ὄντα ποιητὴν καὶ κτί-
στην, καὶ τὰ καθήκοντα αὐτῷ πεποιήκασι, qui universitatis conditor, &
fabricator est: eiusq; leges & instituta secuti sunt: ac non se po-
tius alteri illi DEO, qui videtur oculis nequit, addixerunt, καὶ ἔχοντες
τὸ θεῖον τῷ ἀοργίτῳ εαυτῶν προσετίθεντο. Hæc maximam partem
ex Eriphanio decerpta sunt, qui hæc magnâ cum diligen-
tiâ ex Iustino, Irenæo, Tertulliano, & Eusebio collegit.

VI. Iustinus Philosophus & Martyr, Prisci Bachtii filius,
natione Syrus ex Neapoli Syria sub initium Antonini Pij
Imperatoris circa Annum Dominicum 138. Apologiam Im-
peratori obiulit pro Christianis. Hæc Apologia posteriore
loco præposterè posita, prior est eâ, quæ priore loco posita
est, cuius rei varia in utraq; Apologia documenta deprehen-
duntur. In illa verò Apologia primus (ut σύγχρονος) Mar-
cionis meminit duobus in locis ita scribens: Μαρκίωνα πρὸς
Πόντον, ὅς καὶ νῦν ἐπισητὸς διδάσκων τὰς πεποιημένους ἄλλον πᾶν νομίζειν
μείζονα & δημιουργὸν Θεόν, ὅς κατὰ πᾶν γένος ἀνθρώπων ἀπὸ τῶν
δαίμόνων συλληψέως, πολλὰς πεποιήκε βλασφημίας λέγειν, καὶ ἀρνεῖσθαι
τὸν ποιητὴν & δεῖν παντὸς Θεόν. Marcio quidam Ponticus hodieq;
suos docet aliam quendam maiorem Creatore DEVM credere,
impostor & ope Daemonum seducens homines, qui multis blasphemandi
Autor fuit, & negandi rerum Conditores DEVM. In cer-
tis aliquot paginis: καὶ Μαρκίωνα τὸν ἀπὸ Πόντου (ὡς προ-
έφημεν) περιβάλλοντο οἱ φαῦλοι δαίμονες, ὅς ἀρνεῖσθαι μὲν τὸν ποιητὴν
τῶν ἔσθνίων, καὶ γίνων ἀπάντων Θεόν, καὶ τὸν προσκηρυχθέντα, ἀπὸ
τῶν Προφητῶν Χριστὸν υἱὸν αὐτῷ, καὶ νῦν διδάσκει ἄλλον δεῖν πᾶν κατα-
ργεῖν παρὰ τὸν δημιουργὸν τῶν πάντων Θεόν καὶ ὁμοίως ἕτερον υἱόν, &c.
Iidem mali Genij & Marcionem Ponticum (ut dixi) suborna-
runt, (vel in medium projecerunt) qui suos docet negare DE-
VM Conditores terrenarum rerum atq; caelestium, & pronun-
ciatum per Prophetas Christum eius filium: pro quibus annunciat
mundi opificem alium, filium item alium. Addit Iustinus Dæmo-
nes illos ἀγωνίζοντας per Marcionem nihil aliud querere, quàm
quod

Quibus insanum hominem tam acriter urget, ut non habentem quod respondeas, aut quo elabatur, fortissimis argumentorum nexibus constringit, quod dum facit, totum Evangelium, & Paulinas Epistolas omnes cum Veteri instrumento conferat, & pulchre consensire docet, qua ille cum Aquinas discrepare contendebat. Acceptum dubio procul divina providentia ferre debemus, quod quum tot auctororum monumenta perierint, qui contra Marcionem stylum exercuerunt, hoc duntaxat opus Tertuliani, in nostram usque aetatem incolume sit reservatum, ut appareat manifesta Marcionis dementia, & Tertuliani studium erga Christianam pietatem tandem orbi testatum fiat.

IX. Cum Marcion Ponticus fuerit, Pontum Euxinum per elegantem *ἡγοφώνησιν* hoc modo Tertulianus alloquitur: Ne tu Euxine probabiliorum feram Philosophis edidisti, quam Christianis. Nam ille canicula, Diogenes (Cynicus) hominem invenire cupiebat, lucernam meridie circumferens. Marcion DEVM, quem invenit, extincto lumine fides sua amisit. Ibidem Pontici loci feritatem, & inhospitalitatem in comparatione ad Carthaginensem caeli constitutionem describens, Marcioniq; egregie applicans, haec addit: *Duritia de caelo quoque, Dies nunquam patens, Sol nunquam libens (lucens) nubes aër, nebula, totus annus, hybernium: omne quod flaverit, Aquilo est. Lignores ignibus redeunt, amnes glacie negantur, (rignantur) montes pruinâ exaggerantur. Omnia torpent, omnia rigent: nihil illic, nisi feritas calet, illa sc. quae fabulas scenicis dedit (Tragœdias intelligit Euripidis) de sacrificijs Taurorum, (Tauri pro victimis advenas mactare solebant) & amoribus Colcherum (Medæ) & crucibus Caucasorum. (Prometheus diductis ad duo juga brachiis, Caucaso fute alligatus à Jove) Sed nihil tam barbarum ac triste apud Pontum, quam quod illic Marcion natus est, Scythâ tetrior, Hamaxobio instabilior, Massagetâ inhumanior, Amazoniâ audacior, núbilo obscurior, hyeme frigidior, gelu fragilior, Istro fallacior, Caucaso abruptior; quid nisi penes quem verus Prometheus DEVS omnipotens blasphemis lancinator.*

X, Libro

X. Libro de præscriptionibus adversus hæreticos, de Cerdone & Marcione hunc in modum scribit c. 51. *Accedis hic Cerdon quidam, hic introducit initia duo, id est, duos Deos, unum bonum, & alterum sævum, bonum superiorem; sævum hunc, mundi Creatorem. His Prophetas & Legem repudiat: DEO creatori renunciat: superioris DEI filium Christum venisse tractat: hunc in substantia carnis negat, in phantasmate fuisse solo pronunciat: nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex virgine natum, sed omnino nec natum. Resurrectionem anima tantummodo probat, corporis negat: Solum Evangelium Luca, nec tamen totum recipit. Apostoli Pauli, neq. omnes, neq. totas Epistolas sumit. Acta Apostolorum & Apocalypsin quasi falsa rejicit. Post hunc discipulus ipsius emerfit, Marcion quidam nomine, Ponticus genere, Episcopi filius, propter stupram cujusdam virginis ab Ecclesia communicatione abiectus. His ex occasione, qua dictum sit: omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem malos, hæresim Cerdonis approbare conatus est; eadem dicere, qua ille superior hæreticus antea dixerat. Hæc ille.*

XI. Vixit autem Tertulianus acris & vehementis ingenii vir (ut hæc in gratiam historię Ecclesiasticę intexamus) sub finem secundi & tertii Centenarii imperitantibus Romanorum Imperatoribus Severo, Caracalla, Heliogabalo, M. Aurelio Severo. Romanus fuit genere ex Septimiâ, plebeja gente, Patriâ Carthaginensis, natus Patre Carthaginensi Proconsulari Viro. Ex Pagano Christianus factus plurimos scripsit libros, stylo arguto, acri ac vehementi; verum non nihil aspero, & insolentiore. Divus Cæcilius Cyprianus Tertuliani studiosissimus nullum diem præterire passus est, quin hujus Scriptoris aliquid legeret. *De Magistrum*, solitus dicere, quous Tertuliani volumen aliquod à Notario posceret. Non est autem silentio involvendum, quod Beat. Hieronymus de Tertuliano scribit, cum ad mediam usq. ætatem Presbyterum Ecclesię permanisset, invidiâ postmodum & cõtumelias Clericorũ Romanæ Ecclesię ad Montani dogma delapsum

delapsum in multis libris novæ Prophetiæ meminisse. Specialiter verò adversum Ecclesiam texuisse volumina de pudicitia, de persecutione, de jejuniis, de Monogamiâ, de Ecstasi, libros 6. & septimum quem adversus Apolloniũ composuit. Hi de Ecstasi libri hodiè non extant, ab illis fortasse suppressi, qui tranquillitati Ecclesiæ consultum volebant. Vestigia *ἐκστασιων* vide in lib. de Animâ c. 9. & 10. Qui plura ad hanc materiam facientia videre cupit, legat B. Hieronymum, B. Rhenanum, & Franciscum Junium in vitâ Tertuliani, Hinc Tertulianista apud Augustinum in catalogo hæresium ad Quod vult DEUM.

XII. Magna illa Hipponensis Ecclesiæ columna Augustinus (qui in quinto centenariò vixit) & ipse librum conscripsit de hæresibus, primum in ordine in sexto tomo. Fecit hoc Hipponensis Ecclesiæ Doctor ad iteratam petitionem Quod vult DEI Diaconi, hac de re ad Augustinum scribentis. Epistolæ Quod vult DEI præfixæ sunt Augustini libro, ex quibus apparet, eum Græcæ linguæ ignarum fuisse. Esi Philastrius & Epiphanius venerandi Episcopi tale aliquod scripsisse memorantur, quod procul dubio me inter cetera, imò sicut omnia, latet. Frustra enim homini, quod Latina non didicit, Græca facundia delegatur. Augustinus suo Quod vult DEO gratificaturus librum de hæresibus conscribit prolixo Catalogo 90. hæreses à Simonianâ ad Eutychianam recensens. In harum numero & Cerdoniano-Marcionitica est, numero 21, 22. Sic autem Augustinus: Cerdoniani à Cerdone nominati, qui duo principia sibi adversantia dogmatizant, DEVMq; legis & Prophetarum non esse Patrem Christi, nec bonum DEVM esse, sed justum, Patrem verò Christi bonum: Christumq; ipsum neq; natum ex fœmina, neq; habuisse carnem, nec verè mortuum vel quicquam passum, sed simulasse passionem. Quidam verò in duobus principijs suos duos Deos ita eum dixisse perhibent, ut unus eorum esset bonus, alter autem malus, resurrectionem mortuorum negans. Spernunt etiam Testamentum Vetus, Marcion quoq; à quo Marcionista

cionistæ sunt, qui Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis; quamvis Epiphanius dicat, eum tria asseruisse principia, bonum, iustum, pravum; sed Eusebius Synerum quendam non Marcionem trium principiorum atq. Naturarum scribit Authorem.

XII. Fuerunt dubio procul & alii Scriptores, qui adversus Cerdonem & Marcionem calamum strinxerunt, verum eorum scripta maximam partem interierunt: Eusebius prodidit Iustinum contra Marcionem commentarium scripsisse, l. 5. hist. Eccles. cap. 8. divinans id ex fine cap. 29, l. 1. Irenæi adversus hæreses. Et Hieronymus in suo Catalogo, inquit, Iustinum insignia volumina contra Marcionem scripsisse. Collegerunt id dubio procul Eusebius & Hieronymus ex ipsis Iustini verbis in Apologiâ supra producta ita scribentis: ἄστι ἡμῖν καὶ οὐκ ὀλίγα κατὰ πᾶσῶν τῶν γεγεννημένων αἰρέσεων συντεταγμένων. Ipse scriptum quoddam opus habeo adversus omnes, que hætenus extiterunt hæreses. Ab Eusebio recensentur & alii: Dionysius Corinthius in Epistola ad Nicomedienses, Philippus Episcopus Antiocheno & Rhodo, clarissimus ille in Asiâ scriptor, quem multa de hac secta prodidisse, & mendacia à singulis eorum excogitata diligenter perstrinxisse, Eusebio affirmat.

XIV. Religiosorem verò hanc sectam hoc ipsum effecit, quod plurimos Martyres habuit, Euseb. lib. 5. hist. Eccles. c. 16. Apollonium introducit scribentem Marcionistas primos esse, qui Martyres plures ostentent. Et Otto Frisingensis Episcopus cujusdam meminit Metiredori de hæresi Marcionis, quem ignibus traditum esse scribit, sub Marco Antonino Vero l. 3. c. 25. sed appositè Eusebius ex Apollonio. Quid ergo? Quia multi alij hæretici plurimos Martyres habent, ideò acquiescendum est eis, quod etiam veritas apud ipsos sit? Verum, quomodo esse poterit apud eos Martyrij veritas, ubi Christi veritas non est?

XV. Memorabile verò est & admirabile, potuisse tam monstrosa Cerdonis & Marcionis deliria tantas sumere vires in tam diffitis locis. Testis enim est Epiphanius hanc hære-

in suo adhuc tempore (ducentorum annorum spatio, & ul-
tra) longè latèq; disseminatam radices egisse ita scribens :
Ἡ ἕρισις ἐστὶ καὶ νῦν ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ ἐν τῇ Ἰταλίῃ, ἐν Αἰγύπτῳ τε καὶ ἐν
παλαιστίνῃ, ἐν Ἀραβίᾳ τε καὶ ἐν τῇ Συρίᾳ, ἐν Κύπρῳ τε καὶ θηβαϊδὶ
& αἰῶνι, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ περσίῃ καὶ ἐν ἄλλοις τόποις εὐρίσκεται. μεγάλως
γὰρ ὁ πικρὸς ἐν αὐταῖς (χωραῖς) κατὰχυσεν ἢ ἀπάτην. His in locis,
vel in hisce regionibus requisitissimus Dæmon calliditate suâ ac frau-
dulentia plurimum profecit, secundum illud Apostolicum :
Ἀρχὸν δὲ ἐξουσίας & ἀερέων ἐφικαξ ἐστὶν ἐν filijs infidelitatis, Eph. 2, 2.

XVI. Et hoc silentio non involvendum, omnia illa opi-
nionum monstra, instar hydræ exorta esse, viventibus ad-
huc illis, qui recens audierant vivam vocem Apostolorum, &
in specie verò Iohannis Evangelistæ, qui ad Trajani usq; tem-
pora vixit. Testis est Irenæus l. 3. c. 3. Marcionem Polycarpo
Smyrnenfi Episcopo, Iohannis Evangelistæ quondam disci-
pulo, (quiq; cum multis qui Christum viderant, diu mul-
tumq; versatus est) obviam factum dixisse : Agnosce nos. Ad-
hæc Polycarpus : Agnosco te, primogenitum Sathane. Verba sic
habent : αὐτὸς ὁ Πολύκαρπος Μαρκίωνι ποτὲ εἰς ὄψιν αὐτῶν ἐλθόντι καὶ
φῆσάντι, Ἰπγίνωσκε ἡμᾶς, ἀπεκρίθη, Ἰπγινώσκω τὸν πρωτότοκον &
Σατανᾶ citante Eusebio l. 4. c. 14. in Græco Eusebii textu.
Tanto scilicet studio Apostoli atq; illorum discipuli cave-
bant, ne cum quoquam eorum, qui veritatem adulterabant
(τῶν παραχαρασσόντων ἢ ἀλήθειαν) vel familiarius conversa-
rentur, vel sermonis commercium inirent, secundum illud
Paulinum : ἀφίστατε πρὸ τῶν πειστών, 1 Tim. 6, 5. τὰς τὰς ἀπο-
τρέψα, 2. Tim. 3, 5. Et illud Iohanneum Epistol. 2. v. 10. Si
quis ad vos venerit, bancq; doctrinam secum non attulerit, μὴ
λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἰκίαν, καὶ χαίρειν αὐτῶ μὴ λέγετε.

XVII. Antequam hinc abeamus, Chronologico-Histori-
cus nodus solvendus est. Superius ex Epiphanio retulimus,
Marcionem post Hygini Romani Episcopi mortem Romam
venientem Cerdonis sui Præceptoris venenum sparsisse,
cui sub initium sui imperii (quod in annum Dominicum

35

138. cadit) *Iustinus* priorem pro Christianis Apologiam ob-
tulit, (in quâ Hæretici Marcionis meminit,) ut supra mo-
nuimus, Sin ita, sequetur Marcionem hæreticum jam ante
Antonini Pij tempora *Adriano* imperitante ante tempora
Romani Pontificis *Hygini* inclaruisse.

XIIX. Hic nodus beneficio *distinctionis temporis* omnium
optimè solvitur. Distinguenda namq̃ sunt tempora hære-
seos Marcionicæ in *Oriente*, *Asiâ*, & *Occidente*, *Italiâ*. Omni-
nò verisimile Marcionem adhuc juvenem in minore *Asiâ*
circa *Pontum*, vel *Syriâ*, ubi *Cerdon* fuit cum hæresi *Adria-*
ni temporibus primùm erupisse, & ita *Iustino* *Syro* jam an-
te innotuisse, antequam Apologias suas scriberet, postea ve-
rò sub *Antonino Pio* longè latèq̃ propagatus erroribus cele-
bre sibi nomen, & in *Italia* post *Hygini* tempora peperisse.
Sanè *Tertulianus* etsi sub *Antonino Pio* Marcionem errorem
exhalasse scribat, tempus tamen *δελισκῶς* non exprimit. Ita
namq̃ scribit l. l. contra Marcionem c. 19. *Quoto quidem an-*
no Antonini majoris (Pii dicti) de Ponto suo exhalaverit aura
canicularis, non curavi investigare. Per *auram canicularem*
Marcionem intelligit, argutè planè. Pro *Aurâ* doctiores le-
gendum censent *aula*, monentq̃ caniculam in mari genus
esse piscis periculosissimum, & urinantibus infensissimum,
de quo copiosè satis *Plinius* l. 9. *Nat. Hist.* c. 46. Huic cani-
culæ adest malum, quod *nebem* vocant, seu *nebulam*, planorū
piscium modo super capita urinantium crassescens, premēs
eos, & à reciprocando arcens. Hanc *aulam*, five *ollam Cani-*
cularem *Tertulianus* dicit, quod tanquam *aula* ollave crassa
exhalet de *Ponto* malum, quo urinantibus *Spiritus* interci-
pitur. Hanc sc. salutem *Marcion* comparabat suis, dira Ca-
nicula, ollam five *nebulam* in humanis capitibus excitans.

XIX. *Hyginum* Romanum Episcopum Atheniēsem Græ-
cum quod attinet, præfuit is Romano Episcopatu sub initi-
um imperii *Antonini Pij*. *Eusebius* in *Chronico* initium *An-*
tonini Pij rejicit in annum Domini 140, *Quadriennalem*

verò Episcopatum Hygini in annos Dominicos 142, 143, 144, 145, 2, 3, 4, 5, Antonini Imperatoris libro 4. H. E. c. 10. ita scribit: *Post Hadrianum Antoninus cognomento Pius Romanum suscepit imperium. Hujus primo anno Telesphorus annis 11. sacerdotio in Vrbe Româ administrato, vitâ decessit, & Hyginus Episcopatus sortem Romana suscipit Ecclesia. Onuphris (quem eruditissimum & πολυεργικώτατον virum vocat Scaliger l. 6. de tempor. emend. p. 328. item summum virum l. 5. p. 471.) Hygini Episcopatum locat in annos Dominicos 138, 139, 140, 141, penultimum & ultimum Adriani, primum & secundum completum Antonini Pij. Marcion ergò qui ante in Syriâ sub Adriano hæretici erroris venenum sparserat sub initium Imperii Antonini Pij propter hæresin jam inclaruerat, antequam post Episcopi Hygini mortem Romam venisset.*

XX. Colligimus inde *Valentinum, Cerdonem, & Marcionem* ferè fuisse συγχρόνους, eo tamen ordine ut Valentinus Cerdonem, Cerdon Marcionem paucis tantùm annis præcesserit. Sunt ex Historicis nonnulli, qui Hygini mortem demum referunt ad annum XLIX. Antonini Pij, Dominicum 156. Quâ verò Historica veritate suffulti ipsi viderint. Sanè Tertulianus antiquissimus inter Latinos Ecclesiast. Patres Scriptor l. 1. contra Marcionem c. 19. testatur à 15. anno Tiberii ad tempora Antonini Pij, & Marcionis elapsos annos 116. Addantur anni 30. ætatis Christi ad 15. Tiberii exurgit annus Dominicus 146, quo anno ex Eusebii positu *Hyginus Episcopus & Martyr vitâ excesserat.*

XXI. Ex hac fœdâ monstrositatum confuge **M A N E S** (qui innotescere cepit circa Dominicum annum 270.) sua venena hausit, eademq; per totam Asiam, & bonam quoq; partem Africæ & Europæ profeminavit. Hic *Manes Persa origine Cubricus primùm appellatus est, verùm sibiipsi Manis nomen imposuit* (επωνομάσας ἐαυτῷ τὸ Ἑ Μανη ὄνομα, ταχα οἶμαι ἐν Ἑ Ἑ Θεῶ οἰκονομίας) *ex divina fortassis dispensatione furiosum*
sibiipsi

sibiipſi nomen *atrabens* (τὸ μανιῶδες ἑαυτῷ Ἰπισπιούμεν & ὄνομα) ut Epiphanius loquitur, qui simul refert, Babylonica lingua *Manis* nomen V A S significare, verum suam Constantia Cyprici Episcopus Ἰπικρισιν addit. Ἡ ἀλήθεια ὑποφαίνεται τῆς μανίας τὸ Ἰπισπιούμενον κέκτηται, διὸν ἐνεβραντίθη ὁ ἐλεεινὸς Ἰωὴ κόσμος ὑποτπῆρα κακῶς διδάσκαλίαν. Ita se res habet, ut à furore & insania ejusmodi sibi nomen indiderit, qui fanatici more percitus infelix pessimum in orbe dogma disseminavit: Quaequam in Graecia Discipuli Manichæi vitantes nomen insanix quasi doctiores & eo ipso mendaciores geminata ἢ Μανιχαίου quasi Manna fundentem Manem appellarint, Augustino teste. Fuit hic Manes vel Cubricus initiò cujusdam viduæ servus, quæ finè liberis defuncta pecuniarum incomparabilem vim, χρημάτων ἀσυνείκασον πλῆθος ἑἰπὶ reliquit. Nactus est Manes cujusdam Scythiani Græcorum lingua cruditi libros quatuor, quorum primo nomen *mysteriorum* imposuit; secundo *summarum* five *capitum*, tertio *Evangeliorum*, quarto *Theसारorum*. Fundamenta hisce libris inerat commenti illius (quod multorum Philosophorum animis insederat) *de duobus principiis æquivalentibus ἰσοζύγοις, ἰσορρόποις sibiq; contrariis*, Continebant & multa magica sub Medicinæ prætextu, propterea Manes & Medicum se esse gloriatus est, cumq; filius Regis Persarum in quendam morbum incidisset, ad Regiam Persidis civitatem, ubi ægrotus Regis filius decumbebat se contulit, suamq; præsentiam Regi insinuans, auxilium se filio laturum audacter satis πολμήσας promisit. Verum (ἔπερ-εχώρησε Ἰωὴ γόητι ἢ τῆς ἐλπίδος φαντασία) non successit præstigiatori spei imaginatio, Species namq; medicamentariæ (Φαρμακευτικὰ) quas ægrotο Regis filio exhibuit, finè salutari fructu fuere. Mortuus enim est Regis filius τὸ μείρακιον in manibus quasi præstigiatoris, propterea & Manes ex Regio mandato in carcerem conjicitur, ex quo corruptis custodibus aufugit. Verum divina νέμεσις Manem ad justum nihilominus supplicium traxit, Cum enim in Arabionis castello ad

Mesopotamiz fines ita degeret. Persarum Rex, ubi hoc cognovisset, missis eò ministris præstigiatores in castello prehensum, vinctumq; ignominiosè in Persidem pertraxit, & eutem ipsius καλάμῳ arundine excoriari (ἐκδαρῆναι) iussit. Ad-
dit Epiphanius, suo adhuc tempore Manis eutem paleis ex-
pletam Persas habere, propterea & Manichæi strata sua su-
per arundines faciunt, Ἐπὶ καλάμοις τὰς κόπας πιῶνται.

XXII. Plurimos hic Manes, Θεοκατάρχῃ, libros conscrip-
psit, quos hinc inde per discipulos sparsit. Errorem profe-
minavit in Persiâ, Mesopotamiâ, Arabiâ locisq; aliis. Nonnul-
las quoq; colloctiones cum orthodoxis habuit. In Caschara
(καχάρη) Mesopotamiz civitate (dubio procul est ψιππῆ
ad Euphratem, Esaiæ 10, 9. 2. Chron. 35, 20. Jerem. 46, 2.)
cum Marcello, viro (ἀπὸ πᾶσι) pietate, præcellenti ἐν θεοσεβείᾳ ἀκρο-
πέτῃ Διαπρίποντι, per omnia Christiano, καὶ πάντα χριστιανῶν, &
in iustitiæ operibus admirando θαυμασιωτάτῳ. Arbitri κριταὶ fu-
êre delecti Μαρσίριος Μαρσιπῆ των ἐκτὸς λόγων φιλόσοφῳ, ex-
terna doctrinâ Philosophus, Claudius Medicus & σοφιστὰ ἰατρο-
σοφιστῆς, Agialeus naturâ Grammaticus φύσιν γεωμετρικὸς & Cle-
obolus Sophista. Habuit & aliam colloctionem in quodam
pago nō procul à Cascharâ cum Tryphone Presbytero, quem
provocaverat. Plurimos item Manes discipulos habuit, quos
ut emissarios in distincta loca misit, ut Manichæam hæresin
hinc inde divulgarent. Et sanè venenum magnas longè
latèq; vires sumit. Et adhuc hodiè reliquæ hæreseos Ma-
nichææ in Orientali Indiâ, regno Calcutenfi, magno item
& diffuso regno Chinesi, vel Sinarum circa δαιμονολατρεί-
αν deprehenduntur.

XXIII. Capita errorum (blasphemiarum potius) Ma-
nis hæc fuisse præcipua: 1. Seipsum Paracletum dicebat à Chri-
sto in valedictoria sua concione promissum. 2. Introduxit duo
principia δύο ἀρχὰς ἀνάρχος αἰὲ ἔσας, καὶ μηδέποτε Διαλειπῆσας
ἀντικειμέναις πρὸς ἀλλήλας, principio carentia, semper existentia,
& nunquam deficientia, inter se opposita. Unum nominavit In-

cem & bonum, alterum tenebras & malitiam. Aliquando hæc duo principia duos Deos vocavit, Deum bonum & Deum malum. Ex his duobus principijs esse & constare universa inter sese contraria. 3. Commixtionem autem, sive temperamentum $\mu\acute{\iota}\zeta\upsilon\eta\tau\iota\ \sigma\acute{\upsilon}\gamma\kappa\epsilon\gamma\omicron\upsilon\upsilon$ horum duorum sibi invicem oppositorum principiorum hoc modo factam fingit, veluti si duo Reges inter se pugnant, qui essent ab initio hostes, ita ut uterq; sua seorsim haberet, ita tenebras collectis copijs ex confinibus suis invasisse ac bello læcessivisse lucem. 4. Finxit eandem esse animam in homine & in omni animali, & in volatilibus, ac in reptilibus & reliquis bestiis, nec in his solùm, sed in plantis. 5. Lucis partem esse animam in hominibus à bono Deo; tenebrarum verò corpus & materia opificis à malo Deo. 6. Edentem carnes animam edere dixit, & ipsum esse reum, ut & ipse tale quid fiat, veluti si porcum comedit, ut porcus fiat, aut taurus, aut avicula, aut aliquid ex eduli creaturâ: propterea & ab omnibus animatus Manichæi abstinent. Habuit & alia monstrosa deliria, quæ apud Epiphanium legi possunt. 7. Manichæi delirium huc propriè pertinens Cerdoniano-Marcioniticum fuit. Blasphemavit enim Spiritum tenebrarum & impietatis Prophetas seduxisse, & ita ut seductos locutos, quasi princeps tenebrarum eorum mētē excæcaverit. Omnes ergo eos, qui Prophetarum sermones sequuntur, mori in æternum. Eum qui locutus est cum Mōse & Judæis ac Sacerdotibus in lege ac Prophetis principem esse tenebrarum.

XXIV. Augustinus in catalogo ad Quod vult Deum de Manichæis hæc habet. Manes I. Duo principia inter se diversa, atq; adversa, eademq; æterna & coæterna composuit, duasq; naturas, atq; substātiās boni scilicet & mali. 2. Nuptias condemnat, & quantum in ipso est, prohibet. 3. Domini promissionem de Paraclete S. S. in suo hæresiarchâ dicunt Manichæi completam esse. 4. Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora liberandas. 5. Nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præfuisse. 6. Ex electis (quos ita vocant) habent 12. (ad instar Apostolici numeri) quos

quos

quos appellant Magistros, & decimum tertium principem ipsorum, Episcopos autem 72, qui ordinantur à Magistro, &c. 7. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis adferre, 8. Peccatorum originem non libero Arbitrio voluntatis, sed substantia tribuunt gentis aduersa hominibus mixta, omnemq; carnem nō Dei, sed mala mentis esse opificium. 9. Carnalem concupiscentiam, quā caro concupiscit aduersus Spiritum, non ex vitiatā in primo homine naturā nobis inesse, sed substantiam esse contrariam, sic nobis adhaerentem, ut quando liberamur atq; purgamur, separetur à nobis, & in suā naturā etiam ipsa immortaliter vivat. Has duas animas, vel duas mentes, unam bonam, alteram malam in uno homine habere inter se conflictum, quando caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. 10. Deum, qui legem per Moysen dedit, & in Ebrais Prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum. 11. Ipsius quoq; N. T. scripturas tanquam infalsatas ita legunt Manichaei, ut quod voluerint, inde accipiant, quod nolunt rejiciant.

XXV. Ita rejecerunt duo priora capita in Matthæo, tria priora capita in Lucā 1. Propter apparentem dissonantiam Matthæi & Lucæ circa Christi Genealogiam, vide August. 1. 3. contra Faustum Manichæum. 2. Propter negationem Genealogias Christi. Negarunt enim Christum secundum carnem ex semine Davidis natum. 3. Viscerunt & Apostolicum locum μή προσέχειν μέθοις, καὶ γενεαλογίαις ἀπεργάντοις, I. Tim. 1, 4. μή ἐστις ζητήσεις καὶ γενεαλογίας καὶ ἔργα, καὶ μαχὰς νομικὰς περιέσσει. εἰσὶ γὰρ ἀνωφελεῖς καὶ μάταιοι Tit. 3, 9. 4. Et alium 2. Cor. 5, 16. Nos δὲ πρὸ τῶ νῦν neminem nouimus secundum carnem. Quod si etiam nouimus Christum secundum carnem, sed nunc non amplius nouimus ὡς εἶπες ἐν Χριστῷ καινὴ κτίσις. Ex his Apostolicis verbis alium Apostolicum locum correxit, in quo Filium Dei scribit γινόμενον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ καὶ σαρκος Rom. 1, 3. c. 9, 5. Hoc enim quod in his ad Romanos locis scribit, veterem & antiquam Pauli fuisse opinionem de Iesu, quod tamen ubi falsum didisset, interpolauit, & reformauit 2, Cor. 5, 16, Priorem ergo Pauli

Pauli

Pauli opinionem fuisse *transitoriam*, propterea addit Aposto-
 lus 2. Cor. 5. 17. *Vetera transierant, & facta sunt omnia nova.*
 Verum quid respondebunt Manichæi ad alium Apostoli lo-
 cum 2. Tim. 2, 8. *Memor esto Iesu Christi ex mortuis resuscitati*
ἐκ σπέρματος Δαβὶδ secundum meum Evangelium. Scripta est
 hæc posterior ad Timotheum, ut Pauli postrema, aliquot an-
 nis post posteriorem ad Corinthios. Quomodo ergo Pauli
 sententia de genitura Iesu Christi ex semine David *transito-*
ria & revocatoria nominari poterit? Cur Manichæi hanc
 apparentem in Paulo dissonantiam non revocarunt ad con-
 stantem consonantiam mediante explicatione homonymi-
 as vocis CARNIS, Paulo perquam usitata. Cur negarunt
 veritatem conceptionis & nativitatis Iesu Christi ex prosa-
 pia Davidica, eoque ipso *fundamentum nostræ Redemptionis su-*
stulerunt?

XXVI. Argumenta verò quibus Marcionitæ conati sunt
 probare DEUM V. T. alium esse à DEO N. T. qui simul Pa-
 ter est Domini nostri Iesu Christi, cum Manichæis ferè com-
 munia habuerunt, partim *stolida*, partim *impia*, per torturam
 & apparentem *ἀνολογίαν* nonnullorum scripturæ locorum
 excogitata, inq; DEUM verum, in V. & N. T. unicum maxi-
 mè injuriosa. Ut in ejusmodi fictionibus ipsâ meridiana So-
 lis luce clarius videre possimus verum esse illud Apostoli-
 cum: *φρόνημα τὸ σαρκὸς θάνατος*, item *ἐχθρὰ εἰς Θεὸν* Rom. 8. 6. 7.
ψυχικὸς ἀνθρώπου & δέχεται τὰ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, μωρία γὰρ αὐτοῦ
ἐστίν, καὶ ἡ δύναμις γνώωναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται I. Cor. 2, 14.

XXVII. Videamus in nonnullis stoliditatem vel *μωρίαν*
 humani *φρονήματος* à Marcionitis & Manichæis.

1. DEVS N. T. *habitat* *φῶς ἀπρόσιτον*, hunc nemo unquam
 vidit, nec videre potest Joh. 1, 18. I. Tim. 6, 16. I. Joh 4, 12,
 DEVS verò V. T. sæpius se videndum exhibuit.

2. DEVS N. T. *perfectissimus* fuit: DEVS verò V. T. in mul-
 tis imperfectus. Laboravit enim *mutabilitate, pœnitentiâ, insci-*
entiâ, & multis alijs imperfectionibus, vel ut Tertulianus loqui-

D

tur;

tur; pusillitatibus, infirmitatibus, incongruentijs. Ita DEUM in-
scitiæ arguebat ex Moysis verbis; *Vidit DEVS lucem, quod
bona esset* Gen. 1. 4. Adeò (scripsit vaniloquus & blasphemator)
anteà nescivit DEVS ille, lux quid esset, ut modò eam pri-
mùm videns optimam judicaret. Augustino teste l. 1. contra
Adversarium legis, & Prophetarum, c. 7. Ita Rulitici scri-
bentis Manichæus assignat, quod tenebras dixerit sine initio
semper fuisse, lucem verò initium sumpsisse de tenebris, ibid. c. 5.
Inclamat DEUS: *Adam ubi es?* Gen. 3. 9. scilicet ignorans (ex
Marcionis mente) ubi esset, & causato nuditatis pudore, an de
arbore gustasset, interrogat sc. incertus ex Tertuliano l. 2. con-
tra Manichæum c. 25. qui de suo ibidem hoc addit: *Non
simplici modo & interrogatorio sono legendum est, ubi es Adam?
sed impresso & incusso & imputativo. Adam ubi es? in perditione
es, id est, jam hic nō es, ut & increpandi & dolendi exitij vox sit.*

3. DEVS N. T. planè est misericors, diligens inimicos, qui
solem suum exoriri super bonos & malos Matth. 5. 43. 44. Hinc
illæ magisteris: *Estote perfecti sicut & Pater vester perfectus
est* Matth. 5. 4. 8. *Estote misericordes sicut & Pater vester mi-
sericors est*, Luc. 6. 36. DEVS verò V. T. iustus, severus, zelo-
tes, visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam
generationem, Exod. 20. 5. *Ignis consumens, ardens usq. ad in-
ferni novissima, absumens terram, & proventum eiq. inflammans
fundamenta montium* Deut. 32. 12.

4. DEVS N. T. pacis amans est, DEVS verò V. T. bellige-
rator, Provinciarum, populorum dirutor.

5. DEVS N. T. homicidia, furta &c. severè prohibuit, DE-
VS verò V. T. ejusmodi vitia quidem prohibuit in Decalogo, in-
terdum verò non tantùm permisit, verum & præcepit, Exod. 3.
22. c. 11, 3. c. 12, 35. exinde apparere DEUM V. T. in mul-
tis operibus sibi contrarium esse.

6. DEVS N. T. contrarius in multis locis est DEO V. T. si
libri V. & N. T. conferantur.

7. DEVM

7. *DEVM N. T. credentibus ipsumq; timentibus promittere bona non tantum corporalia, verum & aeterna, aeternam vitam, DEVM vero V. T. suo populo tantum promississe temporalia bona, possessionem terra Canaan, corporalem in Regimine, agro, domo &c. benedictionem. Sic enim Faustus Manichæus apud Augustinum l. 4. contra eundem; an ignoras, V. T. Cananaorum tantum terram repromittere, idq; solis Iudæis, hac autem terra nihil ad Christianos. Hac ergo V. T. hereditas corporalis verè misera est, & longè ab anima commotis, ut post beatam illam N. T. pollicitationem, qua cælorum mihi regnum & vitam perpetuam repromittit, etiamsi gratis eam mihi testator suas ingereret fastidisset. Item l. 10. c. 1. V. T. divitias promittit, & ventris satietatem, & filios & nepotes, vitamq; longam, & cum his Cananæis regnum. Iudæis ergo bona sua habere libens, volensq; permisit, SOLO Evangelio, & Regni cælorum splendida hereditate contentus. Ex his errorum lacunis (ut hæc obiter inferamus) hodierni Photiniani suum hauserunt errorem, quasi in libris V. T. nulla reperiatur promissio spiritualis ratione æternæ vitæ. Quâ de re alibi suo loco & tempore.*

8. *Mosen omnium Prophetarum Coryphaum, execratione dignum, quod Christum Filium DEI, qui nostra salutis causa pependit in ligno, dire devotionis convivio latefivit. Ait enim, maledictum esse omnem, qui pependit in ligno, Deut. 21, 23. Hunc ergo (Molen) vis ut accipiam? huic ut credam? qui sciens volensq; Christo maledixit. Verba sunt Fausti Manichæi apud August. l. 14. contra eundem.*

9. *DEVM V. T. ita loqui; Meum est aurum, meum est argentum Hagg 2, 9. DEVM contra N. T. ita; μακάριοι οἱ πτωχοὶ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν ἁγίων Matth. 5. 3.*

10. *V. Testamentum Sabbathum observari jubet. Quod si quis non fecisset εἰ πῆ ἔκ ἐου ββάλισε lapidibus obruebatur, quo supplicio ille est affectus, qui lignorum fasciculum collegerat, Numer. 15. 36. Contrà in N. T. Dominus ait: Ego operator & Pater meus operatur, Johan. 5. 17. Sabbatho spicas vnl-*

D a sere

sere discipuli, Luc. 16, 1. (Nominatur à Luca σαββατον δευτε-
ρον) Sabbatho Dominus N. T. non solum egrotos curavit,
sed & illud præcepit; tolle grabatum tuum, & vade in domum
tuam, Joh. 5, 8.

11. DEVM V. T. testari, quod per seipsum fecerit cælum &
terram: In Evangelio verò scriptum esse per Dominum nostrum
Iesum Christum fabricatum esse mundum. DEVM V. T. dicere;
oculus pro oculo, dens pro dente, Exod. 21, 24. Levitic. 24, 20.
Deut. 19, 21. Dominum verò N. T. præcipere non resistere ma-
lis. Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alte-
ram Matth. 5, 39.

12. Vetus ergò & Novum Testamentum non posse esse
unius ejusdemq; Autoris vel Doctoris διδασκάλου. Illud enim
veterascit de die in diem, hoc renovatur de die in diem 2. Cor. 4,
16. Quicquid autem inveterascit & senescit propinquum est in-
teritui, Ebr. 8, 13. propterea Marcionitæ cum Manichæis
Arboribus inveteratis & resiccatis legem & Prophetas com-
pararunt, ex illo Johannis Baptistæ; Lex & Prophetæ usq;
ad Johannem, Matth. 11, 13. Luc. 16, 16.

XXVIII. Qui plura de Marcionitarum & Manichæorum
monstruositate cupit, legat prædictos Ecclesiasticos Patres, in-
primis Tertulianum, Athanasium, Epiphanium & omnes Au-
gustini libros quos contra Manichæos scripsit, contra For-
tunatum, Adimantum, Faustum, Felicem, Secundinum, contra
Adversarium Legis & Prophetarum, & alios, tomo 6. com-
prehensos.

XXIX. Nunc contra Marcionitica & Manichæa deliria
nobis esset pugnandum, firmiterq; probandum, DEVM V. T.
eundem esse, qui est Novus, Patrem sc. Domini nostri Jesu Chri-
sti, & consequenter Prophetas in V. T. per eundem Spiritum
& locutos esse & scripsisse, qui Spiritus Christi fuit, & per
quem Apostoli in N. T. in omnem veritatem ducti, locuti
sunt, & scripserunt. Verum Elencticam hanc tractationem
peculiari Academicæ velitationi reservamus.

Ἐπίλογος

Cum Marcionitæ & Manichæi duo coæterna principia in Ecclesiam introducere allaborarint ex palliatâ quadam erga Numen summè bonum reverentia, ne id quod in natura malum est, idq; vel ὄντως vel φανομένως tale æterno isti Numini summè bono adscriberent, non immeritò quaeritur, quâ pietate, quâ reverentia hodiè nonnulli qui Christiani esse volunt de DEO Creatore perfectissimè bono, imò omnis boni in naturâ hæc in publicum emisserint πειρώδους erronea & impia.

1. Eandem concupiscentiam, qua in homine post lapsum est, quæq; 1. Job. 2, 16. taxatur in primo homine Naturaliter primo actus fuisse, verum secundum actum supernaturali dono Originalis justitiæ instar freni impeditum & cohibitum, ne in actualem excessum erumperet.

2. Illam carnis concupiscentiam, qua in homine post lapsum pœna est peccati, homini in puris naturalibus condito Naturalem fuisse, non quidem ut BONUM aliquod Natura, verum ut defectum & quasi morbum quædam Naturæ ex CONDITIONE MATERIÆ (at unde illa?) consequentem.

3. Hominis naturam in puris naturalibus consideratam fuisse sine justitiæ, hæsisse in ignorantia DEI in mente, difficultate & inobedientia in voluntate, rebellionem membrorum & virium inferiorum adversus superiores, nec non præcipiti inclinatione ad vitia omnis generis. Naturam humanam sibi relictam pugnam experiri cepisse partis inferioris cum superiore, qua NATURALIS futura erat, ex MATERIÆ CONDITIONE secutura. Hominem in puris naturalibus conditum habiturum fuisse rebellionem illam carnis ad Spiritum, quam nunc post amissum justitiæ originalis donum omnes experimur.

4. Statum hominis post lapsum, non magis differre à statu ejusdem ante lapsum in puris naturalibus, quàm differt spoliatus à nudo, neq; deteriores esse humanâ naturâ, neq; magis ignorantia & infirmitate laborare, quàm esset & laboraret in puris naturali-

bus condita. Hæc Pontificiorum sunt *περιδοξια*. Legatur Bel-
larminus Tom. 4. Controv. I. de gratia primi hominis,
Cap. 5. & seq.

5. Peccatum à DEO esse. Quia verò à DEO nihil mali o-
riatur, peccatum nihil aliud esse præter inanem & falsam opinio-
nem. Eos proinde non debere reprehendi vel puniri, qui occidunt
mæchantur, furantur, id enim foret ipsum DEVM reprehendere &
punire. Hoc pestilentissimum enunciatum Libertinorum
fuit, qui patrum nostrorum memoria in inferiore Germaniâ
exiit.

6. Supremum Numen AUTOREM ejus esse, quod in nobis
est injustitia. Vnum atq; idem facinus, puta adulterium aut homi-
cidium, quantum DEI est AUTORIS, motoris & IMPULSORIS
crimen non esse. Adulterium David, quod ad AUTOREM DE-
VM pertinet, non magis DEO esse peccatum, quàm cum Taurus
totum armentum ascendit & implet. DEVM non peccare dum
hoc ipsum AGIT in homine quod homini peccatum est, sibi verò
non est. DEO namq; nullam legem esse positam. Zwinglius de
providentia cap. 5. & 6.

7. DEVM IMPELLERE Creaturam ad malum. DEVM
IMPELLERE latronem ut occidat. Latronem COACTUM esse
ad peccandum. DEVM Sathana & impijs non modò permittere,
verum & MANDARE ut maleficia adversus probos moliantur.
Hominem justo DEI IMPULSU agere, quod sibi non licet. Impios
& præfractos homines certâ destinatione DEI ad peccandum fuisse
IMPULSOS, Zwinglius ibidem Calvinus lib. 5. Instit. c. 17. S.
11. c. 18. S. 2. & 4.

8. DEVM quosdam extæcare, indurare & in desideria cordis
& prava flagitia tradere, idq; non tantum permittendo; nec tan-
tum gratiam subrahendo; nec tantum externa offendicula in qua
impingant reprobus objiciendo: Sed etiam INTERNA quadam
particulari, sed ineffabili ACTIONE, eaq; vel IMMEDIATE PER
SE, vel mediatè per Ministerium Sathana, eos in cæcitatem &
obdurationem & prava desideria IMPELLENDO, Zanebius in
Miscellaneis p. 264.

9. Pecca-

9. Peccatum consideratum etiam VT PECCATUM, quatenus ad DEI gloriam illustrandam non suapte natura, sed bonitate DEI facit, eatenus peccatum & malum culpa praordinatum esse à DEO. DEI ORDINATIONE fieri ut hic parricida sit, alius adulter, Injustitiam in sese nobis ostendere Numen cum nulla ratione posset ut quod undiq; verum, sanctum bonum sit, per Creaturam injustitia Exemplum PRODUXISSE. Divinam providentiã in hoc CREAVISSE Esavum ut viveres atq; IMPIE viveret. Zvinglius prædicto loco, & in Epistola ad quendam amicum de 25. Jan. Anno 1527. inserta Tom. 1. fol. 385. f. b. Item in Elencho contra Catabaptistas Tom. 2. fol. 36. fac. a. Zanchius in Miscellaneis pag. 252.

10. Non pari conditione CREARI homines, sed alijs vitam aeternam, alijs aeternam damnationem praordinari. Calvinus lib. 3. Inst. c. 21. S. 5. Quosdam homines à DEO Opifice CONDITOS esse ad interitum vel exitium, DEVM quosdam hominum per CREATIONEM ad interitum preparasse & adaptasse. Beza ad v. 21. 22. Cap. 9. ad Rom. Finem Creationis hominis ex DEI parte fuisse duplicem. Vnum gloriosum ac beatum ad vitam aeternam, alterum miserum & ignominiosum ad interitum & aeternam mortem. Piscator in sua ad Tausfreri disputatione responsione p. 9. & 100.

11. Nihil clarius esse, nihilve certius, quam Voluntatem DEI SOLAM, non tantum negativa, sed etiam affirmativa Reprobationis causam esse. Causam Reprobationis SIMPLICITER NULLAM præter DEI Voluntatem assignari posse, nihilq; referre utrum negativè an affirmativè accipiatur Reprobatio. Zanchius lib. 5. c. 2. parte 4. in Resp. ad 14. object. Causam Reprobationis & SOLAM & TOTAM & ABSOLUTAM esse solum aeternum, liberrimum atq; iustissimum DEI beneplacitum Universam reproborum INDIGNITATEM PRÆVISAM PENITUS excludens. Huberius Scurmius in Diatribe de predestinatione Th. 14. p. 161. Causam Reprobationis NEQVAQVAM in homine querendam esse. Peccatum Reprobationis causam nequaquam esse posse. Reprobos nõ propter prævisam infidelitatem, & alia impia facta, sed DEO ita iuste volente

volente & decernente lapsos esse. Vt Electionis sic etiam Reprobationis nullum meritum intervenire. Ursinus in Catechesi p. 408. Rennecherus in Catena hinc inde. Zanchius lib. 5. de natura DEI c. 2. parte 3. de Reprobatione. Vide & alios candidiores Calvinianos Beza Boquinum &c.

12. Reprobos NECESSITATE peccandi eorum & pereundi ex immutabili DEI Ordinatione constringi, atque ita constringi ut nequeant non peccare & perire. Ex immutabili Reprobatione NECESSITATEM peccandi & quidem sine resipiscencia ad mortem usque peccandi. eorum & aternas pœnas dandi reprobis incumbere. Zanchius locus citatis. Principem incredulitatis causam esse Reprobationem, Piscator Th. 92. de predest. contra Schafmannum.

13. Nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum quo voluerit, velit aut voliturus sit DEVS singulorum hominum misereri. Reprobos ad perpetuam gratia destitutionem præordinatos & prædestinatos fuisse. Beza in 2. parte ad Colloq. Mompelg. p. 194. Zanchius lib. 5. de N. DEI C. 2. parte 3. q. 2. ad Th. 2.

14. DEVM ab eterno pro bona sua Voluntate, & ea quidem cui resisti non potest constituisse & quorum in Christo miseretur, & quos in Christo induraret. Beza in citato loco.

15. Peccata hominum non estimari ex Voluntate DEI arcana, sed revelata. Itaque licet homo cum peccat faciat quod vult DEVS voluntate sua arcana, eaque iustissima, hominem tamen excusari non posse cum faciat CONTRA illam DEI Voluntatem, ex qua novit sibi omnia esse agenda. Voluntate revelata vel SIGNI DEVM velle omnes salvos fieri: At voluntate arcana quæ etiam beneplaciti vocatur non omnes salvos fieri velle, sed solos electos. Zanchius lib. 5. de Nat. DEI C. 3. parte 4.

Relegentur hæc impia effata cum perpetuâ ignominiâ ex Christiana Ecclesia ob summam erga Supremum Numen, summè bonum, reverentiam. Et si hodierni Reformati non fucata, non ambigam, non deceptoriam, sed veram, candidam, apertam Theologicam & Spiritualem fidei fraternitatem cum orthodoxis publico Ecclesie bono inire desiderant, seriò rem agant, ne retento suorum prædecessorum impio dogmate mitioribus tantum explicationibus Orthodoxam J. C. Ecclesiam deludant, seseque toti mundo ut deceptores prodant.

Coll. d. d. H. N. 46/20